



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXX. De Filiorum expensis, & donationibus in portionem hæreditatis
conferendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

que sint, vel plures, citt. Auth. & proin plus non debetar, quàm
Novel. Ubi tamen excipiuntur quadrans juxta dispositionem
filii adoptivi, quorum portio legi- juris antiqui ita
tima nullo jure aucta est, quibus statuentis.

CASUS LXX.

De filiorum expensis, & donationibus in portionem hæreditatis conferendis.

CELsus Juvenis post absoluta sua studia, & peragratas ex consensu patris varias peregrinas Regiones in patriam tandem revertitur, & ad lauream Doctoratûs Juridici publicè promovetur, quam adeptus apud patrem instat, ut pro se filio Officium, tunc fortè vacans, à Magistratu emat. Pater oportuna hac occasione usus Officium pro filio emit, & post sex mensium spatium è vita excedit, quo mortuo tres superstites fratres paternam hæreditatem inter se se dividunt.

QUÆR. I. An impensa à filio ex consensu patris factæ in gradus Academicos, studia, & lustrationem peregrinarum Regionum post mortem patris conferende sint in Legitimam, seu hæreditatis portionem cum aliis fratribus?

QUÆR. II. An sumptus, quos pater ad comparandum filio aliquod Officium expendit, conferendi, ac computandi sint in portionem hæreditatis?

QUÆR. III. An, & quales donationes filio à patre factæ in portionem hæreditatis conferende sint, ac computande?

396 **A**D I. Q. Prædictas expensas conferendas esse, (est autem collatio bonorum secundum Treutlor. vol. 2. d. 17. th. 1. rei pro-
R. P. Leonardelli Soc. Jesu. priæ in commune illatio, ut hæreditati communi permixta inter omnes cohæredes æqualiter dividatur) colligi videtur ex Nov. 18. cap. 6. &

6. & *Auth. ex testam. C. de Collationib.* ubi habetur, quod filii debeant conferre res, quas habent pro dote, *vel alio modo dadas*: ergo pecunia, quæ filio graduum, studiorum, atque peragrationsis causâ consummenda datur, conferenda erit, si de alia voluntate patris expressè non constet. Nihilominus

357 Contrarium tenet communis DD. sententia cum Molin. *D. 239.* & Navar. *n. 160.* pro qua varias adducunt rationes. Ant. Gomez ex eo putat non esse conferendas, quod hujusmodi expensæ sint loco alimentorum, sed hanc rationem non approbat Valq. *dub. 7.* quia ejusmodi sumptus multum excedunt alimenta, atque adeò saltem quoad excessum essent conferendi, sed contrarium meritò tenet Molina *citt.* cum aliis, quia fas est parentibus splendidiorem, majoremque sustentationem in vestitu, cibo, equitatu, famulis, & aliis ejusmodi rebus tradere uni filiorum, quàm aliis, modò id metam rationis, attentis circumstantiis concurrentibus, non excedat.

Probant id alii ulterius ex LL. & primò quidem ex *l. 50. ff. fam. eriscund.* ubi dicitur: Quæ pater filio emancipato studiorum causâ peregrè agenti subministravit, si non credendi animo pater misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ

ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur. Nec obest, quod textus loquatur de emancipato, id enim factum est à Jureconsulto, ut casum decideret, de quo majus poterat esse dubium, quia videri poterat pater eos credendi animo misisse; quæ ratio dubitandi in filium fam. non cadit, cum inter hunc & patrem nulla obligatio, nullumque creditum intercedere possit.

Prob. 2. ex *l. 5. C. ad S. C. Macedonianum*: ubi studiorum expensæ pietati paternæ adscribuntur: atqui quæ ex pietate paterna præstita censentur, illa non repetuntur, si non fiant ex necessitate, prout ex necessitate danda est legitima; censentur enim concessa ex affectu donandi, & ex quadam liberalitate ad filiorum utilitatem promovendam, atque adeò non repetuntur, *arg. l. 11. C. de negot. gest.*

Conf. ex *l. 20. C. h. t.* ubi dicitur non omnia profectitia esse computanda, sed ea duntaxat, quæ specialibus legibus jubentur computari: atqui sumptus studiorum causâ facti, non solum nulla lege jubentur computari, sed potius contrarium ex citatis legibus colligitur. Id, quod Jure Bavarico *tit. 36. a. 10.* ita constitutum esse testatur Haunoldus, qui tamen rectè advertit, attendendam hîc potius esse locorum consuetudinem, quàm *Jus commune.*

Idem

Idem juxta dicta censendum de impensis factis, ut filius visitet Provincias, addiscat peregrinas linguas, ad gradum Academicum promoveatur, videlicet ejusmodi sumptus, nisi de parentum contraria voluntate, aut protestatione constet, censerentur, eos de suo insumpsisse absque animo gravandi filium, & obligandi ad collationem & computationem cum aliis filiis.

Ad rationem dubitandi in contrarium adductam ex citt. Nov. 18. & auth.

R. relata illa verba intelligenda esse de iis, quæ specialibus legibus non eximuntur à collatione, ut cum aliis notat citt. Haunold. *tr. 6. c. 8.* quia licet citt. suprâ leges eximentes à collatione impensas studiorum sint antiquiores, ex generali tamen regula, & *l. 80. ff. de reg. Jur.* leges posteriores generales non derogant prioribus specialibus; quia correctio est vitanda, & ideò priorum exceptio subintelligenda est in lege generali posteriore.

398 Ad 2. Q. R. sub distinctione facta inter Officia; nam aliqua Officia sunt ab emptoribus iterum vendibilia, & transmissibilia ad hæredes, aliqua non. Quòd priora sint conferenda, & computanda, non controvertitur inter DD. De posterioribus negant Manzius, Grassus, aliique plures, quibus suffragatur Molina *D. 241.* arbitratus

non esse id computandum, quod pater expendit in obtinendo Beneficium filio, vel Doctoratum; quia hæc personalia sunt, nec vendi, aut transmitti possunt, censenturque ex affectu paterno, & liberalitate quadam data fuisse, nisi expressè constet de contraria patris voluntate, vel nisi filius habeat bona adventitia, quorum administratio est penes patrem, qui proin ex propriis bonis filii potest subministrare sumptus pro studiis, & tali gradu, vel Beneficio; tunc enim si Pater sumptus subministravit non declarando, utrum ex propriis filii bonis, an ex suis suppeditaverit, præsumendum esse, quòd tales sumptus facti sint ex bonis filii, censent Navar. in *summ. c. 17. n. 159.* Vasq. *n. 168.* Lug. Gomez cum aliis, atque adeò si filius post mortem consequatur sua bona adventitia integra, obligari eum ad sumptus virtualiter conferendos, hoc est, tantò minus sibi sumendo de patris hæreditate. Contrarium tamen satis probabiliter tenet citt. Haunol. cum Bartol. Hunnio, & aliis, præsumptionem scilicet esse, Patrem de propriis dare filio hujusmodi sumptus, si filium de hoc non moneat, quia Administrator debet bona ita administrare, ut quantum potest, caveat, ne reddantur obnoxia litibus; atque adeò cum possit certum reddere debitum, & obligationem conferendi, expressè ea de re monendo filium, idque non fecerit, idcirco præsumitur

mitur de suis dedisse, ne bona administrata litibus subijciantur. Et ita constitutum esse de jure Bavarico testatur cirt. Haun. & de Jure Lusitano, & Castellano Molina.

399 Ad 3. Q. Notandum est donationem aliam esse merè gratuitam; aliam antidoralem, seu remuneratoriam. *Gratuita* est, quæ fit ex mera liberalitate donantis, & quidem non aliam ob causam, quam ut munificentiam suam exercent. *Remuneratoria* est, quæ fit ex debito non quidem justitiæ, sed gratitudinis, & ob merita Donatarij, quæ proin non est strictè, ac propriè dicta donatio, quia propriè dicta donatio pro causa solam habet liberalitatem, ut patet ex l. *Aquilius 27. ff. h. t. & l. donationes 1.* non item remuneratoria; de qua proin non sunt intelligendæ prohibitiones, quibus certæ personæ prohibentur donare, ut contra non paucos cum Gonzal. *inc. 3. h. t. n. 9.* prohibilius docet Sanch. *l. 6. de matrim. D. 6.* cum communi DD, quia in odiosis termini & verba in sensu stricto, & proprio accipienda sunt; donatio autem remuneratoria non est propriè dicta donatio, ut colligitur ex modò dictis.

Porrò ut donatio aliqua remuneratoria censeatur, debet fieri ob merita vel Donatarij, vel illius, cujus intuitu donatur alteri, ut si dones filio intuitu Patris, aut

si Pater donet filio intuitu matris, aut alterius benè meriti, debentque merita præcessisse, & donator exprimere debet, se ob merita donare, quia etiam benè meritis potest donari liberaliter. Quòd si tamen merita præcesserint, & contrarium non exprimat in foro externo præsumitur esse donatio non gratuita, sed remuneratoria, ut notat Menoch. *l. 2. de arbitr. c. 88. n. 53.* cum Card. de Lug. & aliis. His notatis.

R. 1. Donationes simplices filio à Patre factæ, quæ per Jura non improbantur, sed statim ab initio valent, non sunt conferendæ, vel computandæ in legitimam, prout satis conveniunt DD. & colligitur ex *l. 35. §. 2.* per argumentum à contrario, ut notat Haun. & ratio est, quia pater videtur hac intentione donasse, ut Donatarius rem illam præcipuam haberet, non obstante, quòd per talem donationem aliqua inæqualitas inter filios induceretur, alioquin non esset liberalitas, si in naturale debitum legitimæ computandum esset, ut benè advertit Manzius n. 11. Aliæ tamen donationes, quæ per Jura improbantur, & ab initio non valent, sed primùm morte donantis confirmantur, & habent vim legati, imputandæ sunt in legitimam, ut tenet communis DD. eò, quòd legata in legitimæ supplementum imputentur.

R. 2.

401

R. 2. Donationes antidorales, seu remuneratoriæ, filio à patre factæ ob merita indebita sibi, vel alteri personæ præstita, non sunt conferenda. Ita communiter DD. quia tales donationes non cadunt sub prohibitiones, quibus certæ personæ donare prohibentur, ut supra dictum est, sed valent statim ab initio, & computantur inter lucra aduentitia, censenturque acquiri ex propriis bonis, hoc est, ex propriis actionibus, sicut eas consequeretur etiam alius extraneus. Limitant tamen DD. Doctrinam hanc, ut scilicet procedat duntaxat pro casu, quo donatio non excedit notabiliter merita, aliàs ratione excessus esset conferenda. Insuper volunt, non sufficere, quod pater asserat merita, sed insuper debere de illis constare; aliàs pro foro externo donationem pro remuneratoria non haberi utpote aliis filiis præjudiciosam, etsi donans expresserit, se donare ob merita, ut notat citt. *M-noch. c. 134.* Qualia autem merita esse debeant, melius relinquitur arbitrio iudicis, qui ut iudicium de hoc ferre possit, in considerationem adducet conditionem donantis, donatarij, & causam, ob quam fit donatio. Notat tamen

hic Molina *D. 244.* cum *Lug. l. c. n. 222.* si singuli filii obsequia indebita, & extraordinaria patri præstitissent, & pater donationem remuneratoriam uni præ cæteris fecisset cum præiudicio, & diminutione legitimæ aliis filiis debitæ, tunc talem donationem in communem massam esse conferendam; eò quod tunc pater omnibus filiis suam legitimam debeat cum donatione quadam remuneratoria, & tamen eam uni soli cum præiudicio cæterorum fecerit, atque adeò injustè, sicut injusta esset solutio in casu, quo aliquis non potest omnibus creditoribus satisfacere, & tamen uni soli solvit cum cæterorum præiudicio; Si tamen facta donatione remuneratoria uni filiorum, in aliis bonis, salva legitima, tantum adhuc superesset patri, ut æqualem donationem remuneratoriam aliis etiam filiis benè meritis absolutè facere posset, & tamen id non faciat, non teneretur filius ita accepta conferre utpote accepta per donationem sine cæterorum liberorum præiudicio factam, ut notat lugo, cum salva legitima, ex bonis adhuc remanentibus æquales donationes aliis quoque filiis facere posset.

